



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXII. Vtrum iustitia vindicatiua sit species iustitiæ particularis indistincta à
iustitia commutatiua?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

respicit, rediguntur ad iustitiam commutativam, & ad obligationem, quam respicit, ut contendit Vasquez, quatenus comparatio inter dignitates, & munera singulorum spectans ad iustitiam distributivam, ideo instituitur, ut inde subducatur, quod unicuique seorsim sumpto debetur ex iustitia commutativa. Cum igitur constet ex prima ratione inter Angelos, & homines iustitiam commutativam exerceri minimè posse, concluditur neque distributivam alterutra ex parte circa alteram exerceri unquam posse.

Art. 1. Resp. Quaestio hæc est parvi momenti. Dicendum verò primò est iustitiam commutativam vtrilibet ex parte, respectu alterius dari propriè, ac strictè, atque exerceri posse saltem quoad commutationes involuntarias, de quo commutationum genere dicitur infra. Ratio est, quia tam homines, quam Angeli sunt capaces iuris quisque sui adversus omnes alios, atque adeò, & mutuae obligationis non ampliandi terminos propriæ libertatis cum iactura aliorum, habent enim communem Principem Deum inperentem singulis bonorum cumulum peculiarem lege lata, ut illis maneant, eorumdem inserviant utilitati, ac liberæ dispositioni. Patet autem indemnitas horum bonorum, & postquam læsio facta fuerit, restitutionem pertinere ad iustitiam commutativam, quatenus moderantem commutationes involuntarias, ne fiant, & si factæ fuerint, rescindantur constituta aequalitate Arithmetica, non inter res unius, & res alterius, sed inter res spectantes ad unumquemque, & ius eidem conveniens consideratis eatenus, ut aequalibus: seu perinde atque si nulla inesset aequalitas, personis licet absolute in se inæqualibus. Quæ quidem ratio efficaciter convincit, quoad commutationes saltem involuntarias. Quia cum neque Angeli, neque homines sint impeccabiles ex sua natura, nec sit maior ratio, cur peccare possint in alia materia potius, quam in materia iustitiæ inferendo inuicem nocumenta quoad famam, & honorem, aliaque similia pertinentia ad ius proprietatis eorum, sunt utique capaces naturaliter, ut peccent mutuo peccato iniustitiæ. Quod peccatum ex natura sua inducit obligationem restituendi, & resarciendi nocumentum illatum, quod est opus iustitiæ commutativæ. Possunt igitur hoc pacto exercere mutuo iustitiam commutativam Angeli, & homines.

Art. 2. Dicendum rursus est iustitiam distributivam, neque Angelos erga homines, neque homines erga Angelos, exercere de facto posse. Quia ea bona communia, quæ qu. 18. dictum est pertinere ad hanc iustitiam tanquam materiam propriam, & adequatam eius, Deus per se ipsum Angelis distribuit immediate, quoad partem spectantem ad ipsos; Partem autem, quæ spectat ad homines, eisdem distribuendam commisit absque consortio Angelorum in iure, & opere distribuendi. Non negatur tamen possibilem absolute esse iustitiam distributivam cum Angelorum inter se, cum Angelorum simul, & hominum inter se. Non enim apparet unde repugnet, ut Deus eo modo committat arbitrio Angelorum, & hominum distributionem munerum conferentium ad bonum vtrorumque commune, simulque speciale eorum, quibus illa deputarentur determinatè. Supererat, ut ultimo loco exponeretur utraque iustitia inter patrem, & filium; dominum, & servum, maritum, & uxorem; verum, quia facilis admodum, & cuius obuia est circa istos consequentia ex dictis qu. 5. de mutuis eorum iuribus, nihil necesse est eam in rem distinctius adiacere; quando manifestum est iustitiam uniuscuiusque sequi naturam iuris, circa quod versatur, atque ius istarum personarum, eo in loco expositum fuit clarè.

Ad 1. Illud argumentum solum probat mutuum Angelorum, & hominum incapacitatem, quoad com-

mutationes voluntarias per quas, & Angelus ad hominem, & homo ad Angelum transferant aliquid cum aequalitate Arithmetica æstimabilitatis inter datum, & acceptum. Quæ aequalitas repugnat inter quælibet bona substantiarum intrinsecè inæqualium, atque specie inter se dissidentium, idque propter rationem ibidem expensam, quæ eatenus est efficax. Caterum, quoad commutationes involuntarias, de quibus fuit superior conclusio, eadem ratio nihil probat. Nihil enim prohibet ablatum alicui à substantia inæquali esse æquale restituto eidem per eandem; imò est necesse esse æquale Arithmetice, si totum restituatur, quod fuerat iniuste ablatum, ut fieri proculdubio potest. Deinde possibile itidem videtur Angelos inter se æquales exercere inuicem iustitiam commutativam, etiam quoad commutationes voluntarias. Quia sunt capaces aliquorum bonorum extrinsecorum, ut laudis, honoris, aliorumque eiusmodi officiorum, atque quoad hæc potest vtrò, citròque aequalitas constitui inter æquales; esto rarò, & vix unquam eiusmodi bona sibi inuicem præstituri videantur. Angeli ex virtute iustitiæ, etiam in statu viatoris, aut etiam puræ naturæ, sed ex liberalitate, est pura benevolentia, uti plerumque fit inter homines quoque abundantes bonorum, & nobiliter inuicem familiares. Atque hoc obiter.

Ad 2. Patet ex modo dictis quoad iustitiam commutativam; quoad distributivam verò ex dictis ad quaestionem in posteriori parte.

Ad 3. Patet indidem sufficienter; nisi quòd principium ibi assumptum à Vasquez nequaquam subsistit. Quia ex dictis in quaest. 18. circa naturam iustitiæ distributivæ, & rationem iuris specialis, quod ipsa respicit inter dignitates, & munera singulorum, patet non ad hoc institui, ut subducatur quantum unicuique debeatur ex iustitia commutativa, & ex iure unicuiusque adequatè proprio; sed ut sistatur in mutua dignitatum, & munerum collatione, & immediate satisfiat iuri individuo communitatis simul, & personæ particularis aequè, & immediate pertinente ad vtramque, nec idonea, circa quod versetur iustitia commutativa.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum iustitia vindicativa sit species iustitiæ particularis indistincta à iustitia commutativa?

Videatur esse indistincta à iustitia commutativa. 1. Quia iustitia punitiva constituit aequalitatem inter peccatum, & poenam. Constitutio autem aequalitatis est propria iustitiæ commutativæ. Ergo iustitia vindicativa est indistincta à commutativa.

2. Iudex tenetur ex iustitia commutativa ad resarciendum omnia detrimenta, quæ Reipublicæ, aut personis privatis proveniunt ex iniusta scelerum impunitate. Non autem ad hoc tenetur ex iustitia commutativa, si non teneretur ex eadem ad vindictam, & punitionem scelerum. Ad eandem namque virtutem pertinet præcavere nocumentum antequam inferatur, ad quam pertinet illud resarcire, postquam illatum est, ut paulò post dicitur. Ergo actus iustitiæ punitivæ est actus iustitiæ commutativæ. Accedit D. Thomas docens quaest. 108. art. 2. ad 1. punitionem, proptèr refertur ad publicam iustitiam esse actum iustitiæ commutativæ.

Artic. 1. Resp. Iustitia vindicativa hoc habet ex genere suo, ut non tam ordinetur in utilitatem eius, circ

circa quem exercetur, quam in utilitatem aliorum. Hoc enim præstat, ut ceteri feliciter sapiant in capite insipientis. Nempe reus, ratione delicti, comparatur iumentis insipientibus, & similis fit illis. Atque cum homo ob dignitatem naturæ rationalis hoc habeat proprium, ut sit, & ametur ratione sui, utque ordinentur in utilitatem eius, quæ circa ipsum aguntur; ratione peccati decidit ab eo gradu excellentiæ, & honoris, atque per penam ordinatur in bonum potissimum aliorum, ut bruta, solumque hoc sibi deinde superest beneficium proprium rationalitatis, ut penam conuertat in bonum peculiare suum per virtutem patientiæ, & propositum emendationis. Quæ ratio est, ob quam eadem illa, quæ quis libenter perferret ex charitate, misericordia, aut alio simili motivo, aegrè ferat, si iniungantur in penam, maxime si iniungantur ex affectu præcise puniendi. Quia videlicet eatenus secum agitur, ut cum bruto, & infra dignitatem naturæ rationis secundum se. Ob similem rationem, quæ quis sponte sua paratus erat facere, aut omittit, aut exequitur illibenter accedente iussione, & directione alterius, si aliunde non accrescat aliud bonum, in quod ipse afficiatur. Quia videlicet eatenus secum agitur, ut cum minus sufficiente sibi, atque indigente præcepto, & directione alterius.

Art. 2. Est autem de ratione iustitiæ particularis simpliciter, & strictè talis, maxime verò commutativæ, ut ius suum unicuique tribuat, suum utique iustitæ proprietatis, & rursus est de ratione huius iuris, ut inferuiat utilitati propriæ subiecti, cui inest, uti sæpè dictum est. Hoc autem nequaquam convenit dignitati, seu quasi dignitati ad penam provenienti ex delicto, & liquet ex discursu facto; & ex eo præterea, quia, licet ob indispositionem animi, quæ cernitur in delinquente, prævideatur penam non esse ipsi profuturam, infligitur nihilominus, quando est pura pena. Quando verò non est pura pena, non pertinet eatenus ad iustitiam punitivam eius infligendi, sed vel ad charitatem, vel ad misericordiam, aliamve similem virtutem. Ergo iustitia punitiva, prout comparatur cum eo, qui punitur, nec est eadem cum iustitia commutativa, nec est species iustitiæ particularis propriæ, & strictæ.

Art. 3. Verum neque relatè ad Rempublicam, cui obstringitur iudex ex officio ad vindictam, & punitionem delictorum, neque relatè ad indemnitatem personæ particularis pendente ex punitione delicti, est actus iustitiæ commutativæ punitio delicti. Sicut enim Dux militiæ, etiam si paciscatur cum Republica de eius incolumitate adversus inimicos, pugnat nihilominus cum hoste, & victoriam nanciscitur per virtutem fortitudinis, & non per virtutem iustitiæ commutativæ; ita etiam Iudex, utcumque paciscatur cum Republica, exequitur immediatè, & formaliter punitionem per iustitiam vindictivam habentem pro motivo formali honestatem proportionis inter penam, & peccatum, & non ius proprietatis conveniens, aut communitati, aut cuiquam personæ particulari. Punitio enim ex sua ratione formali nulli tali iuri immediatè satisfacit, sed habet honestatem suam peculiarem independentem immediatè, & formaliter ab omni iure proprietatis. Quare pactum initum cum Republica à Iudice, & obligatio inde resultans ad indemnitatem ipsius Reipublicæ, & personarum particularium pendente à punitione, solum efficit, ut Iudex per virtutem iustitiæ commutativæ possit imperare actum punitionis, quem deinde immediatè exequatur iustitia vindictiva; non verò ut iustitia commutativa immediatè moveatur propria, & peculiari honestate punitionis; quod tamen necessè esset, ut iustitia commutativa sibi ascisceret actum

punitionis, ut indistincta à vindictiva sub aliquo tandem respectu, & comparatione. Igitur iustitia vindictiva adæquatè est extra totum genus iustitiæ peculiaris tam relatè ad eum, qui punitur, quam relatè ad quoslibet alios; atque ita docet D. Thomas ex professo toto illo art. 2. qu. 108.

Ad 1. Aequalitas propria iustitiæ commutativæ est Arithmetica, eaque non inter res secundum se, sed cum respectu ad iura cuiusque, ut dictum est qu. 9. aequalitas autem inter peccatum, & penam est solum proportionalis, nec eam mensurat ius vllum proprietatis immediatè, & formaliter.

Art. 2. Ut Iudex teneatur ad restituendum damnum emergens ex impunitate, non necesse est punitionem pertinere ad iustitiam commutativam directè, & immediatè; sufficit enim, si ab ea dependeat mediata per modum imperantis. Neque quidquam aliud docet loco D. Thomas, sed hoc ipsum omnino. Solet hic quæri similiter an iustitia legalis sit species iustitiæ particularis, seu simpliciter dicta. Verum de hac re dictum iam est oportune, & ex professo quæst. 11. Quare cum nulla præterea species iustitiæ explicanda supersit; nec circa iniurias specialiter contradicentes iustitiæ, aut distributivæ, aut commutativæ quidquam specialiter occurrat, ultra ea, quæ superius dicta sunt circa iniurias in communi, quod ad intelligentiam reparationis earum conferre possit, oportet hanc ipsam reparationem immediatè annexere.

QVÆSTIO XXIII.

Virum restitutio sit voluntas ius suum prius læsum unicuique tribuendi?

Videtur non esse 1. Quia restitutio est actus iustitiæ particularis. Ergo habet idem motuum adæquatum, quod habet iustitia particularis. Dictum autem est motuum adæquatum iustitiæ particularis esse ius unicuiusque secundum se. Ergo idem eodem modo sumptum, & non prout læsum formaliter est etiam motuum adæquatum restitutionis relatè, ad quod quidditas eius exponi, & definitio eius tradi debet.

2. Restitutio satisfacit ei, qui passus est iniustitiam, quoad totum nocumentum inde resultans, & quoad totum ius conveniens eidem adversus aggressorem: Patienti autem convenit ratione iniuriæ ius quoddam peculiare adversus aggressorem, quod antea non habebat, quodque proinde lædi non potuit tempore iniuriæ illatæ. Quia iniurias ultra rem ablata tenetur ad penam subeundam, & ad placandum iniuriatum, & consequenter iniuriatus acquirit ius novum, quoad hoc. Ergo restitutio non tribuit solum ius prius læsum.

3. Si restitutio versaretur formaliter circa ius læsum non distingueretur ab actu penitentiae. Quia penitentia ex suo conceptu est virtus reparativa iuris læsi. Certum autem est restitutionem distingui totaliter à penitentia.

4. Restitutio communiter definitur *restitutio rei acceptæ: damni illati compensatio: inequalitatis factæ formaliter, vel materialiter contra iustitiam commutativam ad aequalitatem reductio*: atque D. Thomas q. 62. art. 1. dicit *restituere nihil aliud esse videri, quam iteratè aliquem statuere in possessionem rei suæ*. Hæc autem omnia differunt formaliter ab hoc, quod est tribuere ius prius læsum, ut patet. Neque verò licet deferere, aut loco movere definitiones communes.

Artic. 1. Resp. Eadem est ratio non lædendi ius alterius,